



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

17 Vtrum enuntiabile ssmel verum, sit semper veru[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

autem materia appetitus est bonum, unde appetere quodcumque bonum, est bonum in genere: omnis autem scientia, siue quacumque cognitio bonum aliquid est, alioquin Deus cui nihil mali inest, non haberet omnem scientiam tam bonorum, quam malorum: unde appetere quacumque scientiam, vel notitiam quarumcumque rerum siue bonarum, siue malarum, est bonum in genere: sed tamen secundum diuersas circumstantias additas potest esse bonum, vel malum, & præcipue hæc diuersificantur secundum intentionem finis. Nam si aliquis appetat scire scientias magicas, ut eis etiam utatur, est malum. Si autem appetat eas scire ut eas confutet & reprobet, sic est bonum & licitum. Similiter etiam ex conditione personæ potest hoc diuersificari, vel etiam ex modo appetendi. Si enim sic aliquis appetat scire hæc scientias, ut earum notitiam præferat alijs viliioribus rebus, inordinatus est appetitus: & similiter si sit talis persona, ad quam non pertineat hoc scire, inordinate hoc appetit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod omnis scientia ponit intellectum in aliquo sui bono, quia omne verum est quoddam bonum intellectus: sed non omnis scientia ponit intellectum in sui optimo, sed illa sola quæ est circa primam veritatem. Nec etiã verum est quod magicae artes sint scientiæ, sed potius sunt quædam fallaciæ demonum.

AD SECUNDUM dicendum, quod huiusmodi artes sunt prohibita quantum ad suum usum. Si vero prohiberetur alicui etiam earum studium propter periculum utendi, tunc esset malum, quia prohibitu.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum enuntiabile semel verum, sit semper verum.

AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur quod non oporteat enuntiabile quod semel est verum, semper futurum esse verum. Si enim hoc esset verum in alijs enuntiabilibus, pari ratione hoc esset verum in enuntiabilibus de futuro: sed in istis hoc non est verum, quia ut Philof. dicit in 2. de Generatione. Futurus quis incedere, non incedet. Ergo non oportet enuntiabile quod semel est verum, semper esse futurum verum.

¶ 2. Præter. Si partes sunt eadem, & totum est idem: sed partes enuntiabilis sunt prædicatum, & subiectum, & compositio. ergo idem est enuntiabile existente eodem prædicato, & subiecto, & compositione: sed taliter existente eodem enuntiabili contingit quod sit quandoque verum, & quandoque falsum, sicut hoc enuntiabile, Sortem sedere, est verum eo sedente, & falsum eo non sedente, secundum illud Philosophi in Perihier. Ex eo quod res est, uel non est, oratio est uera, uel falsa. ergo enuntiabile quod semel est verum, non propter hoc semper est uerum.

SED CONTRA. Ita enuntiabilia, Sortem currere, & Sortem cucurrisse, & Sortem fore cursurum, non differunt, nisi secundum diuersam connotationem ipsius sed diuersa connotatione non tollit identitatem nominis, idem enim nomen dicitur esse per oes casus & in singulari, & in plurali numero. ergo et prædicata tria enuntiabilia sunt idem enuntiabile: sed si unum horum semel sit uerum, semper oportet quod aliquod eorum sit uerum, quia si semel est uerum quod Sortes currit, prius erat uerum quod Sortes curret, & postea erit uerum quod Sortes cucurrit. ergo si enuntiabile aliquod semel est uerum, semper erit uerum.

A RESPON. Dicendum, quod huius dubitationis vis in hoc consistit, ut sciatur utrum sit idem enuntiabile, quod est de præsentibus, præteritis, & futuris. Si enim hoc verum sit, consequens erit, quod enuntiabile, quod semel est verum, semper erit verum, licet forte hoc dubitationem aliquam habere possit circa enuntiabilia de futuro contingenti, sed hoc est altioris inquisitionis. Si uero sint diuersa enuntiabilia de præsentibus, præteritis, & futuris (est autem idem enuntiabile, quod est de præsentibus quæ literumque res se habeat) manifestum est, quod idem enuntiabile quandoque est uerum, quandoque falsum, secundum quod Philosophus dicit in perihier. Quod eadem oratio, & opinio quandoque est uera, quandoque falsa. Ad cuius euidentiã sciendum est, quod secundum Philosophum in 1. perihiermenias, tria quadam per ordinem inueniuntur. Nam uoces sunt signa intellectus, intellectus autem sunt rerum similitudines, manifestum est autem, quod unitas uocis significatiuæ, uel diuersitas non dependet ex unitate, uel diuersitate rei significatiuæ, alioquin non esset aliquod nomen æquiuocum. Secundum hoc enim si sint diuersæ res, essent diuersa nomina, & non idem nomen. Dependet ergo unitas, uel diuersitas uocis significatiuæ, siue complexæ, siue incomplexæ ex unitate, uel diuersitate uocis, uel intellectus, quorum unum, sci licet uox, est signum, & non signatum tantum, intellectus autem signum, & signatum, sicut & res.

B Potest ergo nomen, uel enuntiabile esse aliud, & aliud, uel propter diuersitatem uocis tantum, sicut est in synonymis, in quibus est diuersa uox, sed idem significatum omnino: uel etiam cum diuersitate uocis potest esse diuersitas intellectuum, siue propter diuersitatem rei intellectæ, siue propter diuersitatem modi intelligendi: & hoc contingit quandoque est diuersitas connotationis, quæ consequitur diuersum modum intelligendi unam, & eandem rem, & præcipue hoc apparet in tempore, quod per se commiscetur operationi intellectus humani componentis, & diuidentis, ut dicitur in 3. de anima. Et ideo dicitur quod non est idem enuntiabile, Sortem sedere, & sortem sedisse, uel sedurum esse: sed Sortem sedere est idem enuntiabile, quia est eadem uox, & idem modus significandi: & ideo patet, quod idem enuntiabile potest quandoque esse uerum, quandoque falsum.

Unde duo prima concedimus. AD TERTIUM dicendum, quod diuersitas connotationis tollit nominis identitatem, in tantum quod obliqui, secundum Philosophum, non sunt nomina, sunt tamen unum nomen non simpliciter, sed in quantum conueniunt in uno ordine declinationis.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrum determinationes theologice debeant fieri autoritate, uel ratione.

ERGO tertium sic proceditur. Videtur quod magister determinans quæstiones theologicas magis debeat uti autoritatibus, quam rationibus, quia in qualibet scientia quæstiones optime determinantur per prima principia illius scientiæ: sed prima principia scientiæ theologice sunt articuli fidei, qui nobis per autoritates innotescunt. ergo maxime quæstiones theologice sunt determinandæ per autoritates.

SED CONTRA est, quod dicitur ad Timoth. 1. Ut sit potens exhortari in doctrina sana, & con- Quodlib. S. Tho. D 3 tradicen-

1. 2. q. 14. ar. 2. ad 3. & 1. dicitur ar. 2. q. 4.

Contra gentiles lib. 1. ca. 8. & 9.